

# ILLVSTRISSIMO VERE

QVE MAGNANIMO PRINCIPI AC DOMI-

NO D. PHILIPPO COMITI PALATINO RHENI, ET

utriusq; Boiariæ duci &c. Domino & Meccœnati suo clementissimo

Petrus Apianus Mathematicæ ordinarius in gymnasio In

golstadiensi p̄fessor, salutē precatur & incolumitatē.

**S**VBINDE mecum ipse admirari soleo, Princeps illustrissi-  
me, hominum quorundem inhumanum adeo ingenium atq; ab  
omni humanitate alienum, ut optimas & nobilissimas quasq;  
artes conuicijs impetere non dubitent, illasq; miseris proscinde-  
re modis, non sine maximo contemptu, digni profecto ipsi, qui ex hominū  
numero reñciantur. Neq; multo diuersum est & eorum institutum, qui non  
quidem semel omnes contemnunt literas, sed ex ea lucrosa ista & illiberali-  
ter quæstiosa utilitate tantum metiuntur, ita ut in liberalium artium nume-  
ro uix aliquam relinquunt, quæ non sit ( ut ipsi loquuntur ) de pane lucran-  
do. Hinc fieri uidemus, ut ferè pereat hoc nostro sæculo alioqui in bonarū  
artium p̄fectu felicissimo suus artibus honos, hinc uidemus uniuersam iam  
philosophiā elanguescere, & eas quidem illius partes magis, quæ minus pa-  
ni seruiunt lucrando. Solari autem in hac re uicissim nos debet, quod omni-  
bus retro sæculis fuerunt Zoili & Momi, qui quæuis reprehendere malue-  
rint quàm potuerint imitari, neq; in uulgo tantum hominum reperti sunt  
osores huiusmodi, maximi quoq; uiri usq; adeo à genuino ueræ humanita-  
tis ingenio defecerunt, ut dolendū sit Valentinianum Imperatorem Gratia-  
ni filium immenso literarum odium cōflagrasse, ac deinde Licinium quoq;  
Imperatorem tam infestum fuisse literis, ut uirus ac pestem publicam eas ap-  
pellarit, sed quur obsecro non odisset, quorum ipse adeo expers fuerit, ut  
ne decretis quidem subscribere posset? Rectius senserunt plæricq; omnes  
ueterum Romanorum, quorū quisq; habitus est præstantior, quo fuit in  
solidis artibus, maxime uero philosophiæ & eloquētiæ studijs uersatior. Su-  
perfluū fuerit hic Fabios, Scipiones, Lælios, Cicerones, Catones & reliquos  
uiros sapientiæ studijs clarissimos cōmemorare. Quis non eximiū Augusti  
admiretur studium? Ex Græcis uero quis non merito Alexandri magni ue-  
re regium, & ab optimo præceptore non male institutum commendat inge-  
nium? Certe, ut ex nostratibus unicum quoq; adiungam exemplum, Sigis-  
mundus Imperator non ipse tantum bonarum literarum studia fouit, do-  
ctisq; & literatis omnibus egregie fauit, sed reliquos etiam Germaniæ Prin-  
cipes plærunq; accusauit, qui latinas odissent literas. Insuper etiam à quibus-  
dam reprehensus, quod uiros humiles & eruditos foueret. Ego, inquit, eos  
amo, quos uirtutibus & doctrina ( ex quibus nobilitatem metior ) cæteris  
uideo antecellere. Præclarum ille quidem & Imperatore dignū dedit Prin-  
cipibus omnibus exemplar, quod imitentur. Frustra autem hæc ego omnia  
Celsi